



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 65. Valentini Gentilis historia continuata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1565.

nullam utilitatem afferri, eo vel maxime, cum illis, quibus in prima Ecclesia dabatur Baptismus, duntaxat ob peccatum originale fuerit collatus, eo fine, ut sancti fierent, & Dei, ac Christi Domini ejus Filii familiam auferent. His innixi principiis veterem Ecclesiæ usum circa Catechumenos observatum redintegrare nitebantur, ac sedulo illos, quos Baptismo abluere volebant, mysteriis fidei imbuebant, ita tamen, ut ipsi quicquid ratio, conscientia, ac propria utilitas inspiraret, agendi libertatem privatis relinquerent, hacque dissimulatione judicum inquisitionem fallere valerent, a quibus castigabantur, si eorum converiandi modus istis innotesceret.

§. LXV.

*Valentini Gentilis historia continuata.*

Hoc item anno iidem Anabaptistæ duos primarios suæ sectæ viros amittebant; præprimis enim periit Valentinus Gentilis, cujus supra meminimus. Hic in Synodo Pinczoviæ in Polonia Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo celebrata totam Arij doctrinam publice divulgabat: verum Regno excedere jubebatur juxta editum Sigismundi Augusti, qui e Polonia

*Melch.*  
*Adam in*  
*vita Calvinii*  
*Sand in*  
*Bibl. Anti-*  
*trin. p. 26.*



Sæc. XVI.  
A.C. 1565.

lonia omnes exteros sanctissimæ Trinitatis dogma impugnantibus expulit: itaque Valentinus Anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Polonia relicta in Moraviam venit, ubi haud diu morabatur, inde vero in Austriam delatus ibidem comperto Calvinii obitu in Sabaudiam contendit, ibique suos spargens errores toties disputationem instituit, quoties offenderat aliquos, qui cum eo in arenam descendere audebant. Tandem ad Gesiarum ditionem perveniens a Præatore capiebatur, omnibus suis scriptis, ac suppellectili, aliisque rebus spoliatus; hac enim severitate idem Præator a se amoliri nitebatur sinistram opinionem, qua ejus fidei integritas circa Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, vel nimia illius cum Gentili familiaritas apud Bernenses suspecta habebatur. De cetero inter reliquos Gentilis libros reperiebatur scriptum quoddam, in quo totam concipiebat seriem cuiusdam disputationis publicæ, quam vel a Bernensi, vel a Gesiano Magistratu petere intenderat, atque unice eo intentus erat, ut tum omnes Ministros, necnon Ecclesiasticos Helvetiarum Tribuum Calvinii doctrinæ addictarum Senatus ignominia repletet, ea conditione, ut ille, qui sententiam suam ex puro Dei Verbo demonstrare

li 4

non



Sæcul XVI.  
A.C 1565.

non posset, mortis pœna plecteretur  
tanquam Impostor, falsæque Religio-  
nis Defensor: si vero quispiam hanc  
provocationem acceptare renueret, tum  
Prætor, urbisque Senatus pronuntia-  
ret, quod Valentinus pie, & ortho-  
doxe de Deo altissimo, ejusque Filio  
Christo Domino sentiret.

§. LXVI.

*Valentinus instructis judicii actis ca-  
pite plexus.*

Sand. l. c.  
Pag. 27.  
Aretius hist.  
de la con-  
demn. de  
Gentilis.

Hoc ipsum ejusmodi disputationis  
consilium tenebat præcipuum lo-  
cum inter accusationum capita adver-  
sus Valentinum instructa: quippe ab  
illo temporis momento passim credeba-  
tur, quod infelix hic homo insuper-  
habita juramenti Religione, ac tot æ-  
rumnis ob errorum suorum defensionem  
toleratis, nihilominus a Catho-  
lica Religione plurimum alienus sit:  
itaque ejus causa ad Bernensem Se-  
natum devolvitur, ubi comparet Va-  
lentinus, atque ex propria oris con-  
fessione comprobatur, quod pertinaci-  
ter violato priori suo juramento San-  
ctissimæ Triadis Mysterium impugna-  
verit: ergo tanquam impius, & perju-  
rus condemnatur, ut abscisso capite  
debitas perfidiæ suæ pœnas lueret. Hæc  
etiam sententia die nona Septembris  
Anno